

*ditos sensus lingua non explicat, in alienas aures puro non potest transferre sermone; quem cum in vernacula lingua habeant disertissimum, se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Idem in comment. epist. ad Ephes. C. 3. Origen. in Philocalia a Greg. Nazianzeno et Basilio collecta c. 4. Arnobius L. 1. cont. gent. aliique non pauci docent in sacris litteris reperiri inconcinnas phrases, solæcismos etiam et barbarismos, qui Scriptoribus sacris exciderint, Deo autem inspiranti tribuendi non videntur.

*Prob. II. RATIONE.* Et quidem 1°. Ut Scriptura Sacra dicatur vere ac proprie verbum Dei, adeoque summam et divinam habeat auctoritatem, sufficit res omnes et singulas sententias esse inspiratas, verba autem saltem confuse a Spiritu Sancto fuisse simul subministrata; tum quia ratio verbi divini plus non exigit, ut patet in traditionibus divinis, quæ commune genus verbi divini cum Scriptura Sacra participant: tum quia infallibilitas loquentis Dei non tam ex vocibus aut verborum figuris, quam ex veritate ac sensu dependet: ergo specialis inspiratio etiam verborum ac phraseos necessaria non est: ergo cum aliunde ostendi nequeat actualis inspiratio verborum facta, ut ex solutione objectionum constabit, Deus non videtur sacros scriptores semper inspirasse quoad singula verba eorumque phrasin. *Conf.* Si Princeps aut Rex Amanuensi generatim duntaxat declarat, quid epistola continere debeat, quo stilo eam velit exarari, humiliori scilicet aut sublimiori, sine aut cum testificatione honoris et observantiæ erga eum, ad quem dirigitur; sic exarata litteræ habentur et leguntur ut principis litteræ et epistola regia, in iisque solus Rex aut Princeps et nullatenus Amanuensis loquitur: ergo cum in Scripturis Sacris exarandis non tantum idem sed plus etiam a nobis asseratur, hæc licet quoad verba singula specialiter non inspirata, erunt nihilominus vere ac proprie verbum Dei.

2°. Moses præcepta Decalogi, Evangelistæ vocem Domini post Christi baptismum de cælo factam, iidem et Paulus institutionem Eucharistiæ diversis vocabulis et vocabulorum constructione referunt: sed nisi dicamus sententias tantum esse inspiratas, sacri Scriptores ab errore et falsitate, aut Spiritus Sanctus a mendacio excusari nequeunt: ergo. *Conf.* In primo Moses Exod. 20. v. 1. sic profatur: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos*: Deut. 5. autem v. 5. et 6. ita loquitur: *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. . . et ait.* In secundo autem Matth. 3. v. 17. hæc habentur: *Et ecce vox de cælis dicens*; Marc. 1. v. 11. *Et vox facta est de cælis*; Luc. 3. v. 22. *Vox de cælo facta est.* In tertio denique Matthæus 26. v. 27., Marc. 14. v. 24., Luc. 22. v. 19. et 20., Paulus 1. ad Cor. 11. v. 24. præmittunt consecrationis formulæ has voces: *dicens, ait, dixit*: ergo cum his vocibus exprimantur verba Dei aut Christi vere et proprie talia, et tamen in ipso sermone relato habeatur diversitas vocabulorum et phraseos, sequitur ad veritatem et proprietatem verbi divini sufficere inspirationem sententiarum, nec illam vocabulorum esse necessariam.

3°. TRIDENTIN. Sess. 4. in Decr. de Canonicis Scripturis, Vulgatæ editioni latinæ tribuit auctoritatem divinam et rationem verbi Dei, dum ita inquit: *si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit. . . ; anathema sit*: sed omnino certum est, editionis nostræ vocabula et phrasin dici non posse divinitus

inspirata; et Hieron. in Proef. 1. Judith, de translatione a se facta testatur, *magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum fuisse translatum*: ergo. *Conf.* Idem Conc. Sess. eadem in decr. de editione et usu sacr. libr. *statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat*: sed nisi sufficeret inspiratio sententiarum, versio vulgata non foret habenda tanquam authentica, possetque rejici ex hac maxime causa, quod etiam in rebus ad fidem et mores pertinentibus vocabulorum et constructionis diversitas hic occurrat: ergo.

23. *Objic.* Scriptura Sacra loquentibus et prædicantibus hominibus sacris tribuit inspirationem verborum et vocabulorum; ut constat ex Isa. 51. v. 16. *Posui verba mea in ore tuo*; ex Matth. 10. v. 19. *nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*; ex Joan. 14. v. 26. *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quæcumque dixerò vobis*: ergo id etiam est concedendum Scriptoribus sacris.

*R. ad Arg.* Si sermo sit de quibusdam duntaxat oratoribus et scriptoribus aut specialibus elocutionis et scriptionis materiis, C. *totum*; cum plerique nostræ sententiæ Patroni dent verba etiam illa fuisse inspirata, quibus exprimuntur prophetiæ, mysteria, et alia graviora vel altiora ab humanis sensibus remota: si vero de omnibus tam auctoribus quam argumentis et universim fiat enuntiatio, N. *Ant.*

*Ad prob. 1. R.* Inde nihil confici; tum quia hoc testimonium ad unum duntaxat et quidem Prophetam pertinet: tum quia *verbum* non tantum pro vocabulo quocumque et parte orationis sed etiam pro integra propositione ac sensu accipitur, ut patet ex Scriptura Sacra Ezech. 3. v. 17. *Audies de ore meo verbum et annuntiabis ex me*; et ex profana apud Terent. *Verum illud verbum est, quod vulgo dici solet*; ubi verbum loco proverbii Comædus usurpat.

*Ad prob. 2. R.* Sicut ex hoc textu minime probatur, vetitum fuisse Apostolis in iudicio comparituris, ne prudentem responsionem præmeditarentur; nec ita semper fuisse locutos, ut in huiusmodi responsionibus nihil de suo addiderint; cum contrarium ex Patribus num. 21. laudatis constet: sic multo minus colligi inde potest, quod omnia et singula verba illis fuerint inspirata, aut, sicut in asina Baalam loquebatur Angelus Dei, sic etiam locutum semper Spiritum sanctum in Apostolis et martyribus quæstioni subiectis.

*Ad prob. 3. R.* Præterquam quod instructio et refrectio memoriæ hic promissa non exigit vocabulorum omnium et phrasin determinatæ inspirationem, sed sententiarum ac rerum duntaxat propositionem; textus hic maxime pertinet ad stabiendum verbum Dei traditum circa sensum Scripturarum et œconomiam Ecclesiæ; pro hoc autem inspirata esse Scriptoribus Ecclesiasticis etiam verba, nemo facile asseruerit.

*Inst. 1.* Patres aperte videntur fuisse in sententiâ affirmante singulorum etiam verborum inspirationem. Nam. 1. GRÆC. Neocæs. (num. 20.) laudatus monet attendendum legenti Evangelium, *ut Deo loquenti*; et Aug. L. 1. de

Cons. Evang. C. 33. docet non aliter legendum Evangelium, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. 2. BAS. L. de Sp. S. ait: nullam vocem in Scriptura oportere indiscussam relinquere. ORIGEN. L. 4. Periarch. C. 2. docet: per singula verba latentes investigandos sensus; CHRYS. hom. 22. in Genes. dicit: Neque vel syllaba vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus; HERON. in com. ad C. 6. Matth. et ad C. 3. Ephes. scribit: Singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus. 3. AUG. Tr. 120. in Joan. ait: Evangelistam vigilanti verbo esse usum, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut aliud quid; sed aperuit: similem observationem de verbo aspirat dies, BERN. Serm. 72. sup. Cantic. facit. 4. AUG. ep. 14. asserit, se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis litteris; non ob veritatem, quae par est in utrisque, sed ob verba phrasique dictantis, qui est Spiritus Sanctus. Ergo.

R. N. Assert. Ad prob. 1. R. Gregorii et Augustini testimoniis recte probari summam Evangelio habendam reverentiam, non autem omnium vocum inspirationem factam; cum idem moneri possit circa legem a praecone promulgatam et epistolam a scriba regio exaratam, ubi tamen Rex non omnia omnino verba sed sententias duntaxat dictavit, ut in probatione thesis est ostensum.

Ad prob. 2. R. Patrum verba non accipienda esse in sensu universali absoluto, sed accommodo, non in rigore mathematico, sed in acceptione morali, probant ipsa eorum effata; cum HIER. ep. 103. ad Paulin. scribat: Singulae pene syllabae spirant caelestia Sacramenta. Et CHRYS. l. c. hanc rationem addat: Nihil enim temere vel fortuito loquitur scriptura divina. Unde illorum seopus et sensus hic est: Omnia scripturae verba diligenter sunt expendenda; quia multa sunt divinitus inspirata, nulla otiosa ac inutilia, omnia aut habere possunt aut habent sensum reconditum; ad quae duo postrema sufficit adfuisse scriptori assistentiam divinam et subministrationem vocabulorum saltem confusam.

Ad prob. 3. R. Cum solum negemus, omnia et singula verba divinitus esse inspirata, adeo nobis non obest duarum vocum hic asserta inspiratio, ut potius alias etiam multas inspiratas facile concedamus. Caeterum nequidem hoc, quod liberaliter damus, probatur ex allatis testimoniis. AUGUSTINUS enim asserens, Evangelistam verbo vigilanti esse usum, diligentiam scriptoris et industriam, non vero inspirationem divinam laudat; maxime cum ad usurpationem vocabuli aperuit suffecerit notitia mysterii per apertum Christi latus significati, minime autem scriptori sacro fuerit necessaria vocis inspiratio. Quod vero ex voce aspirat BERNARDUS colligat, in sacri eloquii textu nec modicam vacare particulam, ostendit quidem nihil temere ac fortuito nec otiose aliquid aut inutiliter insertum esse scripturae, sed omnia esse scripta Deo invigilante et providente, ne voces superfluae aut ad sensus inspirati expressionem minus idoneae adhiberentur; voces autem omnes infusas non probat.

Ad prob. 4. R. Priorem hujus sententiae partem legi quidem ep. 19 et 111 ac in locis aliis nonnullis: posteriorem vero nec ep. 14. cit. nec aliis in epistolis aut scriptis a nobis repertam. Si tamen verba postrema, in quibus vis statuitur, alicubi apud AUG. extent, verba et phrasique scripturae tribui etiam

potest spiritui sancto, non quidem ut immediato, sed ut mediato auctori, et ut verba confuse subministranti.

Inst. 2. Accedit auctoritas humana; quae desumitur 1. a masora Judaeorum, quae procul dubio fundatur in traditione à Synagogae veteris temporibus propagata et satis aperte confirmata a Christo illis apud Matth. 5. v. 18. verbis: Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant: 2. A Theologorum Scholasticorum multitudine, qui paucis exceptis olim contrarium docuerunt; inter quos etiam referendi sunt sex viri a CLAUDIO AQUAVIVA deputati in Tractatu de opinionum delectu seu libro de ratione studiorum pro Societate Jesu: 3. Ab auctoritate Facultatum Theologicarum Lovaniensis et Duacenaë, quae oppositam Lessn doctrinam tanquam periculosam et haeresi Anomaeorum accedentem proscrisperunt.

R. N. Auctoritatem humanam esse tantam, cui cedere sit necesse. Quod enim primo ex masora affertur, ad Rabbinicam et eabbalisticam superstitionem pertinet: gratis etiam fundatur in traditione veteris Synagogae, ad quam minus apte verba quaedam Philonis ac Josephi proferuntur a quibusdam: denique parum feliciter fundatur in Christi verbis, quae non agunt de accentibus et punctis longe post Christum adinventis, sed ex genuina interpretatione, maxime Chrysostomi et Hilarii, hunc sensum habent: omnia vaticinia, figurae omnes et caeremoniae ac minima etiam vestigia, quae in lege ac Prophetis Messiam indicabant, in Jesu Christi persona penitus expressa et impleta inveniuntur.

Quod secundo de numero Scholasticorum asseritur, verum forsitan est de Antiquioribus, falsum de Recentioribus; unde Ludov. Habert nostram sententiam in Theologiae Prolegomenis probabiliorem et communioem appellat. Quid sex illi Theologi deputati senserint, litteris expressum non legimus: id scimus, qualiscumque eorum opinio fuerit, privatam illorum fuisse sententiam, non item publicam et communem Societatis; cum volumen illud Patrum deputatorum an. 1386. et 91. non fuerit typis excusum « ut tanquam res jam plane constituta induceretur in mores, sed quo expeditius multa suppeterent exemplaria, quae in omnem Societatem demissa a provinciarum Doctoribus recognoscantur » ut in Praefatione Lectores monentur. Quin hujus rei mentionem Congreg. Gen. V. nullam postea fecit, et potius in Decreto de Ratione studiorum majorem libertatem relinquit quoad certum auctorem sectandum in iis, quae pertinent ad Scripturas, quam in aliis.

Quod tertio additur de Lovaniensi et Duacena censura, hanc sacra Facultas Parisiensis, licet sollicitata, non approbavit, reprobavit etiam Romana, Moguntina, Trevirensis et Ingolstadiana.

Utut autem vera etiam sit, ea minime nos ferit, qui a LESSIO in plerisque distinguimur. Negamus enim 1. librum aliquem humana industria, sine Spiritus sancti assistentia scriptum, si postea Spiritus sanctus testetur nihil ibi esse falsum, effici Scripturam sacram seu verbum Dei scriptum: 2. inficiamur, singulas veritates et sententias sacrae Scripturae non esse a Spiritu sancto specialiter et immediate, alterutro saltem modo a nobis proposito, inspiratas: 3. quamvis asseramus, non esse necessariam singulorum verborum inspirationem specialem, exigimus nihilominus et universalem inspirationem et subministrationem vocabulorum confuse saltem a Spiritu sancto

præstitam; ex quibus tamen duo priora Lessius aperte asseruit, posterius autem silendo dissimulavit.

*Inst. 3.* Tota Scriptura sacra est vere ac proprie verbum Dei: ergo de essentia Scripturæ sacræ est, quod Spiritus sanctus omnia et singula verba dixerit et dictaverit; quia juxta S. Thom. in 1. Dist. 27. q. 2. a. 2. *De ratione verbi est, quod dicat relationem originis ad dicentem.* Sed si non omnia verba Scripturæ sint specialiter inspirata, illa nec dicunt relationem originis ad dicentem Deum, nec a Spiritu sancto sunt dictata: ergo.

*R. Ad Arg. D. A.* Tota Scriptura sacra quoad res et sententias est vere ac proprie verbum Dei, C. quoad singula verba ac voces, *subd.* est vere ac proprie verbum Dei moraliter tale, C. physice tale, N. Ad rationem verbi veri ac proprie talis non requiri physicam omnium et singularum vocum propositionem ad determinatam declarationem, sed sufficere manifestationem sententiæ et generalem verborum subministrationem, ostendimus in multiplici theseos nostræ probatione; ex qua sequitur Scripturam totam habere relationem ad Deum dicentem, et dictatam esse a Spiritu sancto; et *N. Cons.*; præsertim quia D. Thomas l. c. non tantum de verbo physico et formali, sed etiam de personali loquitur.

*Inst. 4.* Si sententiæ duntaxat inspiratæ essent et non singula verba, ergo 1 non foret discrimen Scripturas sacras inter et definitiones Conciliorum in materia fidei et morum; quia et in his admittenda est inspiratio sententiarum, juxta illud Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto et nobis: 2* una pars Scripturæ esset alia perfectior; cum alia admittatur inspirata secundum sententias et verba, alia tantum secundum sententiâs: 3 posset impune verbum unum alteri substitui, imo etiam negari. Atqui hæc plane absona sunt a debita Scripturis sacris reverentia et Ecclesiæ ac Doctorum sententiâ: ergo.

*R. Quoad primum, N. seq.* Ratio addita est falsa; cum in definitionibus Conciliorum sicut non admittitur revelatio nova, sic nec inspiratio sententiarum, sed duntaxat infallibilis ac specialis assistentia Spiritus sancti, quam unam textus Actorum evincit et communis sententiâ asserit. *Quoad secundum, D. seq.* Una pars Scripturæ est altera perfectior ratione auctoritatis divinæ, N. ratione verbi Divini *subd.* secundum veritatem ac proprietatem, N. secundum physicam et materialem notionem, C. ab hoc postremo tamen repeti non posse prælationem unius partis supra aliam, ostendunt argumenta in 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> probatione theseos adducta. *Quoad tertium, N. seq.* Priori enim contrarium recte decrevit Ecclesia, tum ad conservandam Scripturæ integritatem, tum ad cavendum errorem, tum ob certitudinem immunitatis ab errore scriptori sacro per Spiritus sancti assistentiam etiam in deligendis vocabulis concessæ. Unde patet posterius penitus rejiciendum.

*Inst. 5.* Inter notiones seu ideas rerum et ipsa verba, quæ illæ exprimuntur, tanta intercedit connexio, ut, quamdiu animus noster corpori est alligatus, dum de rebus cogitamus, non abstrahamus a verbis, quibus res usitato sermone exprimuntur: ergo dum Deus inspiravit ipsas res et sententiâs, etiam verba inspiravit; nisi gratis dicamus, hanc verborum et rerum naturalem connexionem in mente sacrorum scriptorum a Deo fuisse sublatam; et præterea etiam admittamus, obviâ Scripturæ verba non esse divina sed humana.

*R. D. A.* Intercedit hæc connexio inter notiones seu ideas rerum et verba

sententiarum substantiam exprimentia, C. ad earum elocutionem, phrasin ac constructionem spectantia, *subd.* generatim et confuse, T. speciatim et determinate, N. Contrarium objectionis non tantum ex regulis de inventionem, dispositionem ac elocutionem Rhetoricis liquet, sed et ex quotidiano memoriæ et reliquarum intellectus potentiarum experimento.

*Ad probationes Conseq.* Imprimis nego gratis aliquid a nobis hic asseri; deinde ex dictis nego connexionem naturalem a Deo subverti; denique quamvis concedam verba Scripturæ plura secundum rationem physicam esse humana, quod de omnibus in versione vulgata admitti debet a Catholicis omnibus; scriptoribus tamen sacris non neganda est ratio organi Spiritus sancti, neque verbis aliquid Divini, quatenus illi scripserunt sub Spiritu sancto impellente ad scribendum, inspirante sensus omnes conscribendos, suggerente quandoque ipsa vocabula, sæpius autem illorum delectum et compositionem relinquente, simul tamen generatim ac confuse verba subministrante, ac præterea specialiter invigilante, ne circa delectum illum aut eam compositionem, sensus inspiratos minus recte exprimendo, delinquerent.

24. *Observe.* Divinæ auctoritati Scripturæ et inspirationi scriptorum non obstat 1<sup>o</sup> relatio blasphemiarum, mendaciorum, aut scelerum perpetratorum; quia aliud est hæc dicta vel facta fuisse Deo inspirante, quod negamus; aliud hæc dicta vel facta scelerata fuisse scripta ex Dei inspiratione, quod unum affirmamus: nec 2<sup>o</sup> effusio sacrorum scriptorum in maledicta et imprecationes, qualia in Psalmis et Libris Job et Prophetarum occurrunt, quia hujusmodi vel continent prophetias, vel ex zelo sancto contra peccata prodierunt, vel si etiam ex odio aut alia prava affectione ortum duxerunt nihilominus a Spiritu sancto inspirari poterant, ut ex nota Joan. 11. v. 51, ad sententiâ Caiphæ adjecta manifestum est: nec 3<sup>o</sup> sive narratio sive propositio rerum levissimarum, qualis illa de cane Tobia, de penula Pauli, de modici vini usu Timotheo præscripto est; non enim hæc tam levia sunt, cum gravia morum documenta contineant, ut videre est apud Interpretes: aut si etiam levia esse concedantur secundum humanum captum, ea tamen non sunt secundum inscrutabile Dei consilium considerata, prout S. Hier. in præf. ad ep. Philem. et alii Patres ostendunt.

## ARTICULUS IV.

*An et quo sensu Vulgata versio sit authentica?*

25. *Nota I.* *Authenticum* a græco ἀθεντικά, quod auctoritatem denotat, nomen habet; ideoque idem sonat, ac auctoritate munitum. Vocem hanc Theologi mutuati sunt a Jurisperitis, quibus scriptum authenticum dicitur scriptum supremæ auctoritatis, quod adeo fidem facit in judicio, ut rejici a nullo aut vocari in dubium debeat. Scripta quæ rationem authenticæ participant, vel sunt autographa seu originaria; et hæc per se, magis proprie ac stricte sunt authentica: vel sunt apographa seu exemplaria; et hæc proprie quidem, sed minus stricte authentica sunt; cum talia non sint per se, sed quatenus cum autographis conveniunt: vel sunt translata seu aliam in linguam versa; et hæc latiore adhuc significatione dicuntur authentica;